

APHORISMUS I.



Elsias seu Christus in Vet. Testamento promissus, typis, Symbolis atq; Sacrificiis, continuo adumbratus, magnoq; fidelium desiderio expectatus, in Novo demum Testamento exhibitus est, & in carnem venit.

*Promissum olim fuisse Messiam, Salvatorem mundi, constat I. ex vaticiniis, de semine mulieris contrituro caput serpentis Gen. 3. v. 15. quod est Filius DEI, qui venit, ut destrueret opera Diaboli 1. Job. 3. v. 8. Filius Mariæ & DEUS homo factus, ut exponit Irenæus: Semen, inquit, predestinatum calcare caput serpentis fuit filius Mariæ lib. 3. c. 38. item inimicitiam hanc DEUS in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, & calcans ejus caput. lib. 4. cap. 18. De semine benedicto Gen. 22. v. 8. quod est Christus Psal. 72. v. 17. Gal. 3. v. 9. 14.*

*Messias olim promissus. Gen. 3.*

*Gen. 22.*

*Gen. 49.*

*De Schiloh Gen. 49. v. 10. Rex Messias, ut legit Tharg. Jonathæ & Hierosolymit. sic R. Salomon: Propheta hoc loco ait: Siloh est Rex Messias, cujus est regni jus.*

*De Stella Jacobi. Num. 24. v. 17. de qua videatur Ambros. in Expos. Lucae lib. 2. sup. cap. 2. De magno Propheta Deut. 18. v. 18. Christus est ille magnus Propheta. Luc. 7. v. 16. cap. 24. 19.*

*De Semine Davidis 2. Sam. 7. v. 12. Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. De Christo exponitur Psal. 89. v. 4. 5. 20. seqq. & 132. v. 11. Hebr. 1. v. 5. Actor. 2. v. 30.*

*Item de promissione Lucis magnæ. Esa. 9. v. 2. Gratiaæ coelestis Psal. 89. v. 3. In æternum Benignitas edificabitur, in cælis firmasti veritatem tuam cum eis. vers. 29. 30. 34. 37. & c. quæ est ventura illa gratia, quam Prophetæ prænunciarunt & c. 1. Pet. 1. v. 10. 11. 12. & data est nobis in Christo 2. Tim. 1. v. 10. Tit. 2. v. 9.*

II. Ex Sacrificiis, quæ erant umbræ & Symbola futuri Messia, ut Epistol. ad Hebræos c. 8. 9. & 10. prolixè docet.